

05

A

1346





DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM

Exercitatio VI.

De

ELEMENTIS
IN GENERE

Quam

CHRISTO JUVANTE

Sub Præsidio

M. HIERONIMI VVEIXELBERGERI

VVellensis Austriaci, Amplissimæ Facultat.

Philosophicæ in Electorali VVitteb.

Academiâ Adjuncti,

Discutiendam proponit

JOHANNES HANNKIUS

Lobschuciensis Siles.

Ad diem 5. Februar.

VVITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XVII.



VIRIS

AMPLISSIMIS ET PRUDEN-
tissimis, multarumq; rerum usu & expe-
rientiâ eminentissimis

Dn. CONSULI, cæterisque
inclytæ Leobschuciensium Reip.
Dnn. Senatoribus, ut & Dn.
Syndico,

Omnibus & singulis magnis suis Patronis
& Fautoribus.

*Debita observantia & grati-
tudinis ergo*

Exercitium hoc Phycum
submitte offert
dedicatque.



05 A 1346

JOHANNES HANNIUS,
Autor & Respondens.



Σὺν Θεῷ

CONTINUATIO.

INstituti nostri ratio postulat, ut absolutâ Cœli Theoriâ ejusque partibus, accessum faciamus ad Elementa, ex quibus omnia sublunaria constant, in quæque etiam tandem resolvuntur. Tu autem, Ô SOL JUSTITIÆ CHRISTE JESU intellectum nostrum radiis SPIRITUS SANCTI illustra, ut verum constanter asseramus, AMEN.

QVÆSTIO I.

Quid & quot sint Elementa?



Nihil vel in animo, vel in opere sapientis admirabilius est ordine; sine quo etiam Natura constare nequit, & absque quo nihil meditata est vel effecit ista *Scalig. exercit. 2.* Hunc itaque & nos observantes à nomine ordimur, ut in rei perceptionem ab eo deducamur, *Plato in Cratylo.* Dicuntur autem Elementa quasi corporum mixtorum alimenta, quòd hæc ex illis alantur & sustententur ex *Arist. opinione lib. 2. de gen. & corrupt. c. 8. t. 50.* Quia verò ambiguitas semper errorem parit *secundum Philosophum lib. 3. de anima c. 6.* eandem etiam in Elementorum voce præcognoscamus oportet, quæ variis sumi modis consuevit. 1. *Pro cujusvis rei primis principiis*, ut quando vocum Elementa prima dicuntur literæ, quòd ad voces conficiendas primùm requirantur. 2. *Pro eo, quod est ἀδιαίρετον*, ut punctum lineæ. 3. *Pro principiis generationis*, cum *Arist. 12. Metaph. c. 4. t. 23.* tria esse Elementa

menta dicit, materiam, formam, privationem. 4. Pro vulgatis mundi quatuor Elementis, igni, aëre, aqua, terra, vide D. D. Conimbr. in lib. 2. *Arl. de gen. & corrup. comment. quest. 1. art. 1.* Nos hoc loco in postremâ modò positâ significatione Elementa cum Magiro defini- mus corpora simplicia homogenea, ex quibus res omnes concretæ primùm componuntur, & in quæ ultimò resolvuntur, ipsa verò in nulla se priora, ex Arist. l. 3. de cælo c. 3. t. 3. *Simplicia corpora*, ad rejicienda compo- sita. *Homogenea*, quia in partes specie differentes dividi neque- ant, cum ex diversis non sint conflata. Nam indivisibilia sint in aliam speciem Elementa oportet, inquit Arist. l. 5. *Metaph.* Ex quibus res omnes concretæ primùm componuntur. Omnia enim Elementa potissimùm materialia principia misto- rum corporum esse ex lib. 2. de gen. & corrup. facile est colligere. 1. Nam terram inesse cunctis ideò dicit, quia unumquodque ut maximum & ut plurimum in proprio terræ loco existit, & *Genes. 3.* de Homine ex terrâ desumpto probatur. Aquam ve- rò, quòd terra sine humiditate consistere nequeat. Et porrò, unamquamque generationem fieri ex contrariis. Jam dantur hic terra & aqua. Ergò etiam aër qui terræ, & ignis, qui aquæ contrarius est. 2. Addit omnia eisd. aluntur, quibus constant, sed unumquodque vivum Elementis alitur. Ergò etiam iis constant. Minorem probat à natura plantarum & herbarum è terra prodeuntium, quæ licet ali solo uno videantur, plura tamen re ipsâ ad illarum nutrimentum accedere patet, quòd aquæ terra maximè admisceatur, & evincit ita ex ante data ratione, ignem etiam & aërem conjungi, & omnia simplicia hoc modo omnibus mistis inesse. *Et in quæ ultimò resolvuntur*, quod quotidie in rerum interitu evenire videmus, ut in reso- lutione cadaverum, ubi quicquid terrei in eis continetur, pau- latim in terram convertitur, quicquid aquei, in aquam & c. Et sic verissima est omnium rerum vicissitudo. *Ipsa verò in nulla se priora* quia ex his non sunt orta.

Alterum propositæ quæstionis membrum quod attinet, discrepantes admodum de numero Elementorum extant opi- niones. Quidam enim infinita Elementa constituere, ut *Leu- cippus & Democritus*, teste *Philosopho lib. 3. de Cælo cap. 4.* quidam finita. Quos inter unum tantùm fecit *Heraclitus Ephesius, Aximenes,*

menes, & Thales Milesius uti Cl. Jacob. Mart. Cent. 6. quest. illustr. disp. 7. quest. 5. recenset. Duo Empedocles Arl. lib. 3. de Cælo c. 5. Igni Elementi nomen negans tria Cardanus lib. 2. subtilit. p. 58. Eorum verò, qui de Elementis infinitis contendunt, errorem refutat loco citato Aristoteles. Quia enim certo numero comprehenduntur Elementorum differentiarum, infinita illa esse minus consentaneum est. Unum duntaxat non esse, hinc patet. Nam si unicum tantum omnium corporum esset Elementum, non daretur mixtum. Cui resolutionem etiam mixtorum in id, ex quo sunt, quotidie repugnare experimur. Neque duo solummodò neque tria, ut ex sequentibus apparebit. Et in specie Cardani mentem subtilitatum Magister exercit. 9. oppugnat. Quatuor autem rectissime numerantur, ut supra recensuimus, Elementa, pro quo numero, & contra omnem alium hoc stat argumentum: In omni composito omnia sunt simplicia, ut paulò antè probatum est in definitionis explicatione. Sed in omni composito nec plura nec pauciora quàm quatuor inveniri ullo modo colligi potest. Conjunge Jacob. Mart. dicta 6. Cent. disput. 7. quest. 5. Hinc oritur

QVÆSTIO II.

Sintnè duo levia, duo gravia, unum summè leve, alterum summè grave, Elementa?

Bifariam levis & gravis vocabula sumi docet Arist. 1. 4. de Cælo c. 1. t. 6. Vno modo absolutè, quando leve dicimus, quod sursum ad extremumque fertur, & grave quod simpliciter deorsum atque ad medium fertur. Altero comparatè, quando unum Elementum respectu alterius vel superioris vel inferioris grave aut leve nuncupamus. Prioris modi definitionem gravis terræ, levis igni competere, nemo inficiabitur, nisi qui optimæ rerum magistræ experientiæ contradicere audacter gestit. Ignem n. Pyramidis instar figuræ transvolare aërem videmus haud dubiè ideò, quod in proprium à Naturâ sibi determinatum locum tendat. Terram verò fundum imum petere, in aquam demissam, Posterioris modi acceptionem gravis

accommodari aquæ & aëri respectu ignis, levis respectu terræ, quia quælibet eorum pars supra terram eminet, & igni subijcitur. Et ita affirmatè respondemus ad quæstionem, duo levia & duo gravia, unum tamen summè leve, & alterum summè grave, elementa dari. *Objicitur quidem.* Intermedia cum extremis non idem sortiuntur nomen. Aër & Aqua sunt Elementa intermedia. Ergò cum extremis igni & terrâ non sunt vel grave vel leve. Pro majoris confirmatione pugnare videtur simile à mediis coloribus desumptum. Ut enim viriditas intermedius color est inter nigredinem & albedinem, ita motiva qualitas aëris & aquæ inter levitatem & gravitatem ignis & terræ. Quemadmodum verò viriditas neque nigredo neque albedo dici meretur, sed peculiare nomen asciscit: ita aëri & aquæ nec levitas nec gravitas, sed proprium qualitatis suæ motivæ nomen tribui debet. Mixta enim simplicium nomine non veniunt. Jam aër gravitatis aliquid admixtum habet, aqua levitatis, nisi hanc summè grave, & illum summè leve Elementum concedere velimus. Sed si ad initio hujus quæstionis datam distinctionem recurramus, facilima est ad hæc responsio. Priori enim modo sumpta gravitas & levitas aquæ & aëri minus, posteriori maximè competit, ut dictum. Porro ad id, quod suo proprio insigniantur nomine medii colores, ut rubedinis, viriditatis &c. qualitates verò Elementorū motivæ non item, cum tamen cum mediis coloribus eadem ratione conveniant: reponimus, *partim* non eandem omninò rationem esse. Nam medii colores de extremorum naturâ participant, qualitates hæc verò non, quia non composita, sed simplicia esse Elementa in præcedenti quæstione probatum est. Simplicia verò simplex debent habere principium motus, non compositum ex extremis, *Toletus lib. 2. de gen. & corrupt. c. 3. quæst. 4. partim* vocabulorum inopiam proprium eis imponere nomen, non permittere. Et licet sub Toleti sententiâ quispiam subsumat: Ut omnia Elementa, ita aërem & aquam esse simplicia, itaque simplicem eis motivam qualitatem adscribi oportere: tamen nullius erit objectio hæc momenti, sed priori repetitâ responsione, quòd ad alterum tantummodò leve

leve & grave media elementa dicantur, corrumpit. Uberiorem
quæstionis hujus tractationem quære apud D. D. Conimbr. in
lib. 4. de cælo c. 6. quæst. 1. art. 1. & 2. Jacob. Mart. cent. 6. illustr. quæst.
disput. 9. quæst. 5.

QVÆSTIO III.

An Elementa in suis locis gravitatem & levitatem obtineant?

Antequam sententiam nostram huic quæstioni super-
struamus, cum D. D. Conimbr. c. 6. l. 4. de Cælo. quæst. 2. art. 1. gravi-
tatem & levitatem dupliciter considerari præponimus. Aut
enim sumuntur pro primis corporum gravium aut levium
qualitatibus motivis, aut pro actuali sursum ac deorsum mo-
tu. Priori modo vocabulis sumptis, nemo Physicorum dubi-
tat, Elementa in suis locis motivas suas qualitates retinere,
cùm ibi, unde fluunt hæ, proprias habeant formas, ut ex Zaba-
rella lib. 1. de motu grav. & lev. c. ult. Jacob. Mart. Cent. 6. illustr. quæst.
disput. 9. quæst. 6. demonstrat. Posteriori verò modo gravitatis
& levitatis voces perpendicularibus dubium contingit, quod in
quæstione adduximus. Ad quod negativè respondemus, uni-
cam saltem hanc & sufficientem in medium rationem affe-
rentes. Omne corpus in loco suo quiescit Aristot. lib. 1. de Cælo.
c. 9. t. 100. Ergò etiam Elementa, Jam quiescere & moveri, tan-
quam contraria, simul stare nequeunt. Neque est, quod idem
Arist. lib. 4. de Cælo. t. 30. de utre statuit, admodum difficile im-
pugnare. Illum, ait, aëre impletum longè graviorem esse,
quàm sine aëre. Sed hoc ab aëre mixto proficisci pondus, non
quà purus & simplex, certum est. Comprobant enim perquàm
impurum circa terram aërem pulvisculi, qui in Solis radiis
conspiciendos se offerunt, item exhalantes è terra vapores.
Dicendum itaque propter terrestrem potius aëri commixtam
materiam utrem ponderosam magis effici, pro qua nostrâ sen-
tentiâ etiam eodem cap. t. 29. verba Philosophus facere videtur, dum
ait :

ait: terram, & quæ terræ plurimum habent, ubique gravitatem habere necesse est.

QUÆSTIO IV.

Num Symbolica Elementa in se faciliùs commeeent?

Omniem generationem in contrarium & ex contrario fieri ex *Aristot. l. 2. de gen. & corrupt. c. 4. t. 24.* notum est. Hinc etiam Elementorum in se commeeationem affirmare nemo dubitat, utpote inter quæ vel ad unam, vel ad utramque qualitatem sit conflictus. Unâ enim qualitate aqua & aër &c. utraque aqua & ignis &c. disconveniunt. Ex quibus originem suam præsens hæc quæstio trahit: *num Elementa Symbolica, id est, quæ unâ quidem qualitate contrariantur sibi, alterâ tamen conveniunt: an asymbolica, quæ utraq; invicem dissentiunt qualitate, in se faciliùs commeeent?* Allicit verò ad affirmantium partem nos dicto loco *Aristoteles*, rei fidem faciens hunc in modum: Unum faciliùs mutatur quàm duo. In symbolicorum Elementorum in se invicem generatione unius tantùm qualitatis fit mutatio. E. faciliùs res progreditur quàm in asymbolicis. Cui argumento exempla, secùs rem se minus habere, subjicit, ut in aère ex igne nato. In illius enim ortu una tantum qualitas, videlicet siccitas ab aëris humiditate opprimitur. Ex aère vicissim, calore ab aquâ evictò, aquæ generatio procedit, & aqua, vi siccitatis humiditate extinctâ in terram convertitur: quo etiam modo ignis ex terrâ propter symbolicam qualitatem siccitatis facilè gignitur. *t. 25.* Asymbolicorum diversa ab his ex proposito fundamento fluit ratio, quod difficilior & tardior, propter duas in illorû transmutatione qualitates cõtrariâs, ex sese ortû succedat, ut in generatione ignis ex aquâ planè corrûpi frigiditatem & humiditatē oportet, *t. 26.* Nihil v. à veritatis tramite nos deflectit horum, quæ ad opinionis nostræ destructionē facere vidētur à nonnullis effusa in partē cõtrariâ,
cujus

cujusmodi hoc etiam est: Ut Elementa Symbolica facilius convertantur, propterea ex supra dictis evenire colligitur, quod una tantum ex Symbolicis qualitas expellatur. Sed hoc non fit. E. Facilius non illorum est transmutatio. Minoris certitudo hinc apparet. Cum enim ex igni aer oritur, duæ qualitates ignis occidunt, calor nempe, quoad aliquos gradus, & siccitas, cujus locum deinde occupat humiditas. Sed non adeò multum parit negotij ratio hæc oppugnanda. Negamus itaque minoris probationem, in generatione aeris ex igni duas qualitates perire, licet & nos ab eâ non discedamus sententiâ, quod secundum gradus aliquos fiat caloris remissio. Hoc enim negato, & totâ caloris ignei qualitate in generatione aeris positâ, aer ex igni genitus calidissimi qualitatem induere sequeretur, quod vero repugnat. Sed infirma etiam videtur conclusio hæc: fit ad aliquos gradus. Ergo etiam ad totam qualitatem mutatio. Si enim ad totam: fieret caloris aerei ex igneo tanquam contrario generatio. Omnis enim, ut in primo quæstionis aditu ex Aristotele diximus, generatio fit ex contrario. Sed specie non distingui calorem aeris ab igneo notum hinc est: Quæcunque conveniunt definitione specificâ, non differunt specie *Aristot. 7. Metaphysic. 6. 12. 1. 37.* Definitiones enim propriè specierum ultimarum sunt *Scal. exerc. 307. sect. 22.* Atqui qualitates symbolicae conveniunt definitione specificâ: Caloris enim in igni, & caloris in aere eadem est definitio. Ergo specie inter se non distinguuntur, ut habet *CL. Jacob. Martin. in disput. 7. probl. Philosophic.*

QUÆSTIO V.

An qualitates sint formæ Elementorum?

In negativam nos ferunt sententiam hæ rationes. 1. Quæ contrariantur sibi, formæ substantiales esse non possunt. Qualitates autem primæ inter se contrariantur. Ergo Elementorum

B

rum

rum forma non sunt. 2. Quatuor hæ qualitates primæ intensi-
onem & remissionem suscipiunt, quod natura substantialis for-
mæ minus concedit. 3. Qualitates hæ cadunt sub sensum, for-
mæ non. 4. Quod uni est substantia, nequit inesse alteri *Arist. 1.*
Physic. 6. 3. t. 27. Primæ qualitates alijs insunt. E. Minor certis-
sima est. Mixtis enim inesse quis negabit. 5. Instrumenta re-
rum, res ipsæ non sunt. Qualitates primæ sunt instrumenta
formarum substantialium *Aristot. lib. 2. de gen. & corrupt. c. 9 t. 45.*
Pro contraria opinione hoc adduci posset. Forma dat esse rei.
Primæ qualitates Elementa constituunt *Aristot. de gen. 2. 6. 4. t. 7.*
E. Sunt formæ eorum. Sed testimonio, quod pro minore
adfertur, contrarium non astringitur, quia aliter Aristotelis locus
explicari consuevit, nempe cum qualitates primas Elementa con-
stituere, & primas eorum differentias esse dicuntur, non secun-
dum gradum substantiæ elementa accipiuntur, sed quatenus acti-
va & passiva sunt. Sic enim spectata, certum est constitui ac
distingvi per 4. primas qualitates, quæ sunt instrumenta alte-
randi principia, ut verè explicant *D. D. Conimb. de gen. c. 3. quest.*
2. art. 3.

QUÆSTIO VI.

An quodvis Elementum è quovis gignatur?

Affirmativam cum Aristotele lib. 2. de gener. & corrupt. c. 4. t. 24.
amplectimur. Cum contrarietas illis ex differentiis ipsis contrariis adsi-
gnari possit. Contraria vero ad generationem convenientissima. Cul
Philosophi opinioni omnes ferè Græci & Latini interpretes suffra-
gantur, Coll. Conimbr. l. 2. de gen. c. 4. quest. 1. art. 2. Non tamen se-
cundum totius alicujus Elementi substantiam fieri corruptio-
nem, sed secundum partes tantùm verè statuimus. Toto enim
Elemento aliquo absumpto, mundi imperfecta universitas extra-
ret,

ret, quod Divinae Providentiae & Naturae adscribere, nemo est,
qui non veretur. Hanc decisionis nostrae determinationem,
Zabarella etiam ponit lib. de constit. scient. natural. c. 22. simili à nave ad-
ducto, quae, licet non raro plurimas experiri cogitur mutationes,
per partium suarum corruptionem, ob quam restaurantur vicis-
sim illae: numero tamen eadem navis quam diutissime servatur.

Vide Thomam etiam 2. sent. distinct. 19. quest. unica art. 2. &
lib. 2. contra gent. c. 90. Iacob. Mart. Disp.
spec. 8. quest. 8.

UNI SOLI DEO LAUS ET GLORIA.




05 A 1346

ULB Halle 3
003 780 996



Wang





DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM
Exercitatio VI.
De
ELEMENTIS
IN GENERE
Quam
CHRISTO JUVANTE
Sub Presidio
M. HIERONIMI VVEIXELBERGERI
VVellensis Austriaci, Amplissimæ Facultat.
Philosophicæ in Electorali VVitteb.
Academiâ Adjuncti,
Discutiendam proponit
JOHANNES HANKIUS
Lobschuciensis Siles.
Ad diem 5. Februar.
VVITTEBERGÆ,
Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XVII.